



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

Varia Testimonia Fidei historica in Sæculo V.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35233**

52. PET. GNAPHÆVS Fullo pseudo-  
monachus ad Eutychetis errores adie-  
cit in trisagio: *Qui crucifixus est pro no-  
bis: quasi S. Trinitatem totam diceret  
esse passam.* Cœpit anno 471. hæresin  
Theopaschitarum; damnatur à Simpli-  
cio Papa Romæ an. 479. Xenam Ico-  
noclastarum autorem assumit socium,  
an. 485. & moritur post diras turbas an.  
486.

Ad ultimum damnatus à Gelasio  
PP. an. 494.

53. XENATAS Persa, seruus profugus,  
nondum baptizatus à Pet. Gnaphæo  
Fullone consecratur Hierapolitanus E-  
piscopus an. 485. dictus postea Philoxe-  
nus, primus autor Iconoclastarum exti-  
tit an. 485.

Dogmatizauit, *Christi & Sanctorum i-  
magines non venerandas; Angelos incorpore-  
os forma corporea effigiare nefas: Puerile esse,  
in columba fingere Sp. Sanctum.*

## V A R I A

Testimonia Fidei historica  
in Sæculo V.

ANNO CDI. S. Porphyrius, Episc. Ga-  
zensis, contra pertinaces gentiles ciues  
suos quid oraturus Eudoxiam adit Au-  
gustam; Cui gravidæ roganti veniam,  
quod Episcopo non occurrisset, is prædi-  
cit parituram filium. Eo ad sua redeun-  
te, dum sæua cooritur tempestas; ex re-  
uelatione discit, ob nauclerum hæreticu-  
m ortam; quo catechizato ac conuer-  
so, mox omnia silent.

S. Martinus obit octogenarius.

S. Porphyrius an. 403. Manichæam  
Gazæ, verbis & pecunijs multos per-  
uertentem maledicit; continuoque mu-  
ta moritur.

ANNO CDIV. Erectâ Eudoxiæ  
statuâ contra templum, Sanctus Chry-  
sostomus pro concione inuehitur: per  
irratam coacto Concilio deponitur; ad  
Papam appellans describit e. agcediam;  
scilicet irruentes in ecclesiam: milites  
*asseruatum Christi sanguinem* effudisse:  
Igne improviso totam deflagrasse.

Interim Eudoxiæ, dirè excruciatæ,  
fœtus in vtero computruit; criminato-  
res Chrysostomi varijs à morbis disper-  
eunt; cum intruso Artacio commu-  
nicat nemo.

ANNO CDIIX. Sanctus Chryso-  
stomus moritur, solitus habere familia-  
rem Sanctum Paulum; Angelosque  
inclinés sacrificanti adstantes.

Moriturque & Eudoxia, eius perse-  
cutrix.

Atticus Episcopus Constantinopo-  
litanus paralyticum baptizat Iudæum;  
simul & sanat.

ANNO CDIX. Alaricus, Rex Go-  
thorum, Romam obsidet; vt recedat,  
etiam idola erant despolianda in li-  
trum; id quod nullis adhuc edictis po-  
tuerat obtineri.

Interim pudici Wandali impudi-  
cam vastant Hispaniam.

ANNO CDX. Romam inuadit  
Alaricus, Sacra vasa sanctaque cæte-  
ra seruat intacta, etiam Virgines sa-  
cras.

Urbe incensa barbari recedunt, saluis templis; Fertur vox; *Salus victis in Christo.*

Monialis capta, heri proles, ob captam infirmitate percussas, sanas oratione & ieiunio reddit; liberaque dimittitur.

Honorius timore Attali, & Donatistarum, edicto cauit *libertatem religionis*. In poenam, ecce, Vrbs capitur; diripitur; salua religione Romano-catholica. Ergo protinus reuocat edictum, digressio ex Vrbe Alarico; qui moritur *an. 411.*

Euagrius philolophus conuersus petenti Synesio accommodat 300. aureos, egenis distribuendos: petitque cautionem, sibi in altero reddendos saeculo. moritur, sepultusque cum Syngrapha, hanc, apparens Synesio reddit, ab ipso subscriptam de facta sibi restitutione.

ANNO CDXIII. Nouatiani à Cyrillo & Papa terram marique fugantur; in ceteris hac etiam ex occasione; quod in mari soluta naui omnes perissent Nouatiani; & Catholicorum nullus.

ANNO CDXV. Pulcheriam quindecennem, votum Virginitatis habentem, tororem suam Theodosius sibi sociam: adsciscit Imperij, ob raram eius sapientiam. Aulam ea velut in monasterium vertit pijssima.

Eius pietate, miraculis clara, felicitatur Imperium, hostes inter medios.

ANNO CDXVII. Errore contigit *Pascha* per Ecclesiam celebrari *die non suo* ac debito; id quod ita compertum. *Melina* in siluestri vinculo, dum paschali nocte Presbyter fontem baptisterii erat consecraturus, lapidis concauitas

non sese ipsam replebat aqua, uti annuo miraculo fuerat, sed biduo post.

*Leucothea* in Lucania, ipso Paschali die S. Lauacri vnda per se vitra lapidis ora, cumulatim sese exacerbans exurgere, limpidissima ad instar cristalli, conuoluit; inque seipsam subfidere sensim. Ibi que tum cum Sacerdos baptisterium de more benedicebat.

In *Lusitania* apud Osem campum piscina est ex solido marmore, in formam crucis excauata. Hanc quotannis sub instans paschale tempus accidit per se ipsam euacuari; vacuam ab Episcopo, vniuersa populi inspectante corona, impressis circum sigillis obsignari: die vero Parasceues eadem plebe teste religuari, ad eius sacram, cum suetis exorcismis & Chrismate, benedictionem. Resignata verò reperitur supra oram marmoris in cumulum aggesta vnda stare, nec vel guttulam exundare. Peractis solennibus certatim *haurire* plebem, deferreq; secum domum pios in vsus; nequedum tamen quicquam imminui: verum cum festa cedente die ad statam apsidis reuerti mensuram.

Dynasta quidam annui contemptor miraculi, iussit suos in templo eo stabulari equos: at ecce, media nocte correptus febris raptim equos mandat extrahi; simul dentibus suummet corpus dilacerans exhalat.

Rex nationis Theodegislus rem exploraturus, ipse ostia omnia consignata Ecclesiam corona virum cingit; idemq; & altero repetit anno: tertio in super fossam circumducit latam quinquaginta vicenos altam pedes: Sed nihil abditu doli que nihil comperit: id lucri abstinuit.

lit; quod diem eundem sequentis anni non vixit.

In Soruba vico Lyciæ subiacente ad radices montis, (in quo Coranensis est ciuitas,) Lauacrum in Epiphania sudat, sudore tribus horis continuis manante; tribusque alijs sensim remittente; interrim solennis baptizatio perpetratur.

In castello Cedebratis, sub Lunciæ monte Aenoandro, baptisterium vrbis, prima paschali ex seipso repletur, est autem ex abrupto solido saxo; duratque aqua ad vltque Pentecosten. Cæterum euanescit.

ANNO CDXIIIX. A drumetini monachi nimis contra Pelagium nitentes, libero arbitrio nihil; omnia soli gratiæ tribuebant; Vt S. Augustino visi fuerint arguendi.

Quare ad eos scripsit librum de gratia & arbitrio: & alterum de Correctione & gratia.

Seuerus Episcopus in Minorica insula per Encycliam testatur, in ea insula Iudæum morari nullum posse; serpentes esse impotes nocendi, feras innoxias.

Vnico in loco noxios extitisse colubros; vecum & hosce ad illatas S. Stephani Reliquias nocendi vim amisisse.

ANNO CDXIX. Plurimæ totâ Africâ Romam fiebant appellationes. Fingunt igitur Centuriatores ius appellationis Papam esse suffuratum.

Iudæus impostor iterato sæpius baptismo quæstum faciebat: semel ab Arianis; iterum à Macedoniano; tertium à Catholico baptizatus erat: quartum petenti baptismum, Constantinopoli ab Paulo ieiunium indicitur: cumque

tingendus esset, ecce disparuit; repletur lacus; iterumque euanescit aqua. Cui Paulus: *Aut veterator es; aut ignorans baptizatus es: aderatque forte, qui ab Actico tinctum viderat, baptizati testis & index.*

Nimirum duo priores non baptizabant; quod formâ verborum catholica non vterentur; Catholicus autem ritè baptismum cõtulit; ideo quarto disperijt aqua; dato diuinitus testimonio reprobatu abs Deo Anabaptismi.

ANNO CDXXX. Victor in Africa primus docuit: *Animam ex Dei substantia creari, non ex nihilo.* Idque tum vt doctor Augustino videretur; qui animæ originem se scire negarat: Tum ita sese per Visionem didicisse narrabat. At eum refutante S. Augustino respuit victus.

Bararanes Rex Persarum, dirus Christianorum persecutor, perfugas ad Imperatorem Theodosium repetit; Neganti eos bellum infert. Ducês in eum retardatur grandine diuinitus grandinante dies XX, vt ijs vix stadia XX. confecerit; Theodosius imparatus, accersitis interim ducibus sese parauit. Constantinopolim obsidens Persa Christum blasphemabat: demum obsessis re desperata cessantibus, solus Episcopus pilam excutit in blasphemum regem nomine blasphemati; & ecce Angeli in Bithynia viatoribus visi nunciare iubent Constantinopolitanis; orare, sperare insisterent; sese duces belli adfore.

Hic Persa in auxilium Saracenos iungere sibi: Sed hi diuinitus conterriti, plures centum millibus, per fugam in Euphraten præcipientes prouere.

Aspebetus, Dux Saracenus, transiit

n. 3. ad

ad Romanos; (sic *Catholici* vulgo appellabantur) cuius semiaridus filius, Euthymium Monachum adire secundum quietem iussus; ab eodem, factis Deo precibus ac signo Crucis, petlanatur. Quod miraculum ad conuersionem valuit Saracenis. *S. Hieronymus* obit. *S. August.* Arianos publica disputatione conuicit: Qui se tamen victores iactabant.

ANNO CDXXII. Honorio defuncto scriba eius Ioannes inuadit Imperium; Clericis adimit priuilegia, forique exemptionem. At *an.* 425. Theodosius Imp. in eum ducit exercitum; cui sese Angelus Ducem offert specie pastoris; perque obiectum ducit lacum momento exsiccatum. Quo ex improuiso Ioannes obrutus, ad interuersionem deletur. Clero priuilegia restituntur; proscribuntur hæretici. Qui Duces barbari in auxilium Ioanni venerunt, Imperium in fuga deprædaturi, orante Deum Theodosio, pereunt vniuersi igne de cælo, fulmine, ac peste. Monachus quidam Theodosium quiddam orarat sepius; auditus nunquam; tandem eum excommunicabat. Hic Imperator se pransurum negabat, nisi prius absolueretur: quæsitusque monachus iuste petita annuentem absoluit; quicquid Episcopus esse victum negaret.

ANNO CDXXIX. S. Germanus cum S. Lupo mittitur Legatus ab Episcopo Galliæ in Britanniam, ad gentem eam ab Pelagianismo reuocandam. Per suspensam collo reliquiarum capsulam perfanat cæcam. Dum in Paschate Britannis baptizandis esset intentus, de irruptione Saxonum affertur nunci-

us; eoque plures ante baptizati enhelant, quam in arma ruant. Iubet in congressu omnes conclamare, *Alleluia*. Quo conterriti hostes fugam inuadunt, sequi ipsos in flumen adigunt obiectum.

ANNO CDXXXI. Sub Synodo Ephesina Generali contra Nestorium, docentem, Ex B. V. Maria Christum tantum hominem natum esse, datam vero Diuinitatem ei, ita merenti: quo auunculi sui Pauli Samosatani relucitauit errores: Sub id tempus, inquam, ad Salutationem Angelicam idcirco putatur adiecta clausula hæc: *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis nostræ*. Verum eam Traditio inde ab Temporibus Apostolorum acceptam hucusque custodierat, nunc primum vero publicam accepit Solennitatis auctoritatem, vltimque generalem: etsi vlllo de Canonede suspensesciam.

ANNO CDXXXII. Quod damnatus Ephesi Nestorius monasterio inclusus liberè agere permitteretur: omittere eum procul relegare Theodosio, contra sualum Papæ; ecce penam; Constantinopolis improuiso correpta igne triduo toto dimidiata hauritur inextinguibili, donec in se ipsum recideret.

Ibidem, Monialis, imagine Veneri delectata, obsidetur à dæmonè, ab omni abstinentens cibo per LXX. dies ab auicula pascebatur; quæ dæmonis erat delusio: demum ad *S. Stephani Reliquias* communicata liberatur, malo suo cautor.

S. Proclus Episc. Constantinopolitanus permouit Theodosium ad Translationem *S. Chryf.* ex Comana Constantinopolim faciendam. Verum conata

in medio tumba stat immobilis. Ergo Theodosius ad eum, tanquam viuentē, dat literas paternæ deprecatorias culpæ; eiusque ab exilio reuocatorias. Quibus ad loculum admotis, mouetur ipse velut seipso. Chalcedone imponitur nauis; hæc absque remigio alarum ipsa volat incitè, præuolatque cæteras eodem è portu soluentes; quibus coorta disiectis tempestate, illa incolumis vna, cursu recto, ad agrum defensæ ab S. Chryostomo viduæ appulit. Imperator vero sacrum cum corpore Lyfanothecam, regnicè exceptum, summa cum reuerentia in Sedem iuxta Proculum deponit; & solenni prece pro defuncto fusa parente deprecabatur. In deposito sarcophago S. Chryostomus clarâ dixit; *Pax Vobis*. Tunc simul XL. Martyrum contigit Reliquias reperiri: Et Eudoxiam *Augustam peregrinari* Ierosolymam; specie, quod filiam nuptam vidisset; reuerat Commissa sua. In S. Chryostomū luens expi: ret. Donata Ierosol. abluenali Epif. *Reliquijs S. Stephani, Falsis Christi, Vinculis Petri*. Hisce filia Romę posuit Basilicâ; illis mater Constantinopoli; vbi peccarat. Et postea Vixit.

ANNO CDXL. Orbis vndique turbat. In Oriente, Nestoriani, &c. in Occidente Gallia Gothi; in Africa Wandali; Romæ pulsi ex Africa Manichæi. Genfericus Ariarius eiectis Africâ totâ Episcopis rogantibus, vt alicubi subfisteret priuati liceret, respondit; Delere Romanos decreui vniuersos; & hoc vos petitis? Simul ipsos in mare abijci iussit: sed sui id deprecati sunt.

Sebastianum Ducem qui Româ Ducum fuerat inuidiam; iubenti profiteri

Arianismum Genferico, aiebat ille: *Parenem candidum, qui per ignem & aquâ transiit, vt Regi apponeretur, repinse; vsque deterior euadet. Et ego sum lotus, vinctus, pastusque Sacramentis. &c. quid mi fieri deterior iubes?*

Manichæi Romæ latentes, cumque Romanis communicantes, ex eo agnoscipi publicantur à S. Leone PP, quod S. Sanguinem non fumant: quod Dominica & feria secunda ieiunent; quod prius adorent solem quam templum ingre diantur. Ideirco soliti Fideles orare versus Orientem; tum vetabantur prius isthuc flectere.

ANNO CDXLVI. Oriente toto per sex menses terræmotibus quassato, Theodosius Imp. Proclus Patriarcha, omnisque populus in aperto degens campo supplicabat. Contigit ipso in supplicio puerum sublimem rapi, audireque ab Angelis concini Trishagium; *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus & immortalis, Misereere nobis.*

Hoc demissus docet Imp. Epif. & adstantes, ac moritur. Proclus id vbique cani iubet isthic, Imperator orbe toto; cessatque terra succussari.

Cyrus Præfectus Constantinopolitanus ethnicus, restaurator mœnium, proscriptus fugit ad aram, fit Christianus, & Epif. Smyrnenfis; Ponit ecclesiâ Deiparæ, vbi abscondita olim coruscante *B. V. Mariae imago* visa, & reperta est, multis eius tactu persanatis. Constantinopoli Iudæ *statuâ Christi*, pro forib, Christiani propositâ, cultro percussit; ex qua cruore protinus exiliente conspersus eam in puteum abiecit nocte eadem. Mane omnis aqua visitur cruenta, reperi-

peritur statua: promulgatur venia reo sese vltro prodituro: suaque virum vxor prodit, factus vterque Christianus; Pulcheria Augusta Virgo renuncians Imperio conlecratur in *Diaconissam*.

ANNO CDXLVII, Dum hæretici per Orientem inualescunt; tenentque Galliam, Franciam & Hispaniam, (per quas oras etiam serpere hæreses eadē,) barbari V Vandali, Gothi, Sueui; ecce in Tolentino Conc. istud, à *Patre Filioque procedit*; additur Symbolo: & sub eo Symbolo Gothi, Visigoti, Franci fiunt Christiani; at vero Orientales ei reclamantes euadunt Saraceni. Romani tamen solo Apostolico Symbolo uti pergunt in Missis, eò quod nulla hæresis Romanam Ecclesiam infecerit vnquã, quæ diutius in ea perstitisset. In memoriam itaque id in æs inciditur post reliquias S. Pauli. Nec Carolus Magnus, nec Henricus Imperatores, quantumuis institerint, impetrare potuerunt, vt cum vtroque orbe cantarent Symb. Nicænum Romani.

ANNO CDL. Damnatis in Conc. Constantinopolitano Actis Ephesini pseudoconcilij, & reliquis S. Flauiani Epif. in eo trucidati Ephesum translatis, simul restitutis per Marcianum Imp. Episcopis pro fide Romana proscriptis; pax Ecclesiæ reddita Orientis est: & ecce improvisò Attila cum Hunnis è solo cedit imperij, sponte, vi nulla.

ANNO CDLI, *Attila* victus in Illyrico, redit in Orientem; sed & hinc expulsus (in gratiam restitutæ in eo religionis veræ) in Occidentem inuadens se *Flagellum Dei* nominat. Tunc exustis Metis, solum S. Stephani perstitit intactum

Oratorium; viso S. Stephano apud S. Petrum & Paulum orare pro eo. Parisii quoque saluæ steterunt precibus S. Genouefa.

Attila Treas euersurus erat; at orantē S. Lupo Episcopo, mediam petrauit urbem cum exercitu excæcato cæcatus, nullo mortalium viso, læsoue.

Item diuinitus seruatur vrbs Vafatis; vbi tunc sub Missa tres guttas delabi contigit, inque vnã coalescere crystallinam; scilicet ad Fidem de SS. Trinitate confirmandam contra Arianos. Ea in crucifixum infixæ cæteræ exlieregimæ, protinusque per eam multæ sunt factæ conuersiones.

Aureliam obsidet Attila, imperium inde inuasurus; capitque eam; non tamen euastat, orante Deum Episcopo cum populo. Et ecce aduolans Aetius Dux fundit, fugatque Attilam cum Hunnis, non sine miraculo.

*Chalcedone Concilium à 600.* Episcopis frequens agitur in æde S. Euphemias cum S. reliquiæ continuo sanguinem in tubiectam spongiam stillabant inde ab eius martyrio; nisi quod non stillaret, si quando improbus isthic præsidebat Episcopus.

In eo sancitum; vnum Episcopum Episcopatus habere duos non posse; iuxta Nicænum, contra Pragmaticos Imp. Anatolius Patriarcha iubet Patres Confessionem Fidei Romano-catholicam, & hæreticos item suam, dare S. Euphemias, ad obstruenda hæreticorã ora; At illa Catholicam arripit dextrã, osculatur, reddit: hæreticam vero ad pedes abiicit.

Iamque prius confirmat Papa Concilium.

cilium. Sancitum quoque Papam dici  
*Oecumenicum seu Vniuersalem Episcopum.*

AN. CDLII. Valentinianus edicto  
adimit Episcopis iudicium Ecclesiasti-  
cum, exceptis causis Fidei. At ecce Fla-  
gellum Dei Attila adest, vastat Italiam,  
ipsam inuasurus urbem, ni S. Leo minis  
ac precibus eum diuinitus fractum a-  
uertisset. Percunctanti dein cur vni pa-  
reret homini? respondit: *adstans ei Sacer-  
dos mortem mihi intentabat.* Ethnicos Ro-  
mæ id astris, fatoque tribuentes S. Leo  
refutat.

ANNO CDLIV. Turbarum Orien-  
tis peritus concedit in Occidentem  
ad Noricos, quos barbaris auertendis  
orate, & ieiunare nolentes deserit; ac  
pereunt. Vrbem ergo iam occupatam  
ab ijs ingressus, ciues malo suo iam do-  
ctos ad supplicandum Deo inducit; &  
ecce die post tertia barbari timore pa-  
nico perciti p fugã se ipsos contrucidãt.

AN. CDLV. Valentinianus adul-  
ter, Infantis Aetij trucidator, & Viola-  
tor ecclesiastici iuris, ab amicis Aetij oc-  
ciditur manu Maximi. Qui iam Imper-  
ator ducit Eudociam, cui aperit se oc-  
cidisse Valentinianũ. Idcirco illa Wan-  
dalos euocat in imperium, & capta ipsa  
cum filiabus abducitur in Africam: Ro-  
ma spoliatur, pter ecclesias primarias;  
Deum sic exorante S. Leone Papa. Hac  
afflictior e cum filiabus Eudocia suba-  
cta, eintrat Euty chianismum, reditque  
ad Ecclesiam Romanam. Marcianus  
Imp. autem suatura reddit ecclesiis, e-  
dictis contrarijs abrogatis.

AN. CDLVI. Mauritaniam ad Chri-  
stum conuersio ita contigit.

Quando in persecutione Wandalica

Rex Gensericus creari per Africam E-  
piscopos prohibens, creatos emori si-  
nebat; seruam suam Maximam iubebat  
Wandalus nubere seruo; quæ ob casti-  
tatis votum abhorrens, pro cum iuxta  
cum fratribus conuertit. Ambos igitur  
herus vngulis dilacerat. &c. Sed diuini-  
tus sanantur; at hero proles ac pecora  
extinguuntur. Demum in Mauritaniam  
deportantur exules; quam denique con-  
uertunt ad Christum; Romamque mit-  
tunt pro Sacerdote. Quo misso negat  
genti bigamos creari Episcopos aut Sa-  
cris inaugurari, licet ingens hominum  
esset inopia. Proclus Genserici Præfe-  
ctus è sacris paramentis vixdum para-  
rat sibi vestes; cum ecce furens sibi lin-  
guam commandens peribat.

AN. CDLVI. Leo fit Imp. qui pri-  
uatus in cæcum incidit solum; miserus  
ducit per æstuosam eremum; quæren-  
que aquam præ siti emorituro vocem  
ex incerto accipit; *Leo Imperator, sc. fu-  
turus, en aquam, luto perlitum illumi-  
na.* Dictum factum. Post ibidem ponit  
ædem Deipara.

AN. CDLIX. Marcianus Gennadij  
clericus aditurus templum nudo dat  
interulam, veste duntaxat Sacerdotali  
amictus. At in hac Diuinis operas vide-  
tur purpuratus. Discutitur; & miracu-  
lum cognoscitur.

AN. CDLXI. Dum Græci de trans-  
misso ipsis Brandeo dubitant; S. Leo  
PP. id forfice scindit, & cruore mana-  
uit. Peregrinantes ad S. Petrum & Pau-  
lum Romam, velum lance pensatum in  
Sepulcrum solent immittere; quod ex-  
tractum ponderosus erat; ad iudicium  
benedictionis. Itemq; clauis aurea per-  
muta-



mutabantur; iisque sanationes fiebant.

AN. CDLXI. Pingentis Christum Iouis specie, manus exaruit: cōfessi perfanatur à Gennadio Constantinopolitano. Qui urbem suam, *an.* 465, hæreticis scatentem vidit, sub vesperum, à cacodæmone, habitu vetulæ medicæ, succendi in foro cum lucernula obeunt: Fuit flamma vorax toto quadriduo, hausitq; urbem pene totam. S. Marcianus S. Evangelio flammis obiecto has ab tēplo nuper à sese constructo, auertit.

AN. CDLXXI. Episcopus Catholicus ab Ariano in disputationem Constantinopoli prouocatus, noluit; mox rogū ingressus paratū intactus se offert disputationi. Ibid. Archisynagogus, autor seditionis, captus, tortusq; flammis dum iniicitur, clamabat; O DEVS S. Sergij iuua me seruatus eodem in loco constructum templum S. Sergio.

AN. CDLXXV. Cum Occidentis Imperium in Augustulo finem accepisset, Erulis barbaris Italiæ imperantibus, per Regem Odoacrem, *nonū Dei Flagellum* ab S. Seuerino prædictū, hic Aruernam diu nequicquā oppugnat; quod Episcopus eius S. Sidonius cū populo, per *Rogationes triduo cum ieiunio*, Deum exorando hostem eneruaret. Cuius exemplū ab S. Mamercio Viennensi Episcopo se sumpsisse, literis ad ipsū testatur. Lauriacenses fraudē in pendendis decimis facientes, in fame & siccitate moniti fraudis ab S. Seuerino Episcopo penitentes spōdent emendationē; ac protinus est pluuia consecuta. Zeno Imp. fouens Euthychianos, proscriptosq; restituens ipse eijcitur Imperio *an.* 476.

AN. CDLXXVI. Odoacer, misso in

exilium Augustulo Rex, licet Arianus tributū ab Imp. imposuit remisit. Ecce orbi toti licet dominaretur Ariani; nō tamē Ecclesiæ Catholicæ. Zeno in oriente, Odoacer in Italia, Gothi & Burgundi in Gallia, Gêlericus in Africa, Fracri erāt ethnici. Zeno nil audiens Papā, à Basilisco genero exiuit imperio: qui edicto abrogat Concilium Chalcedonense; prætextu concordiæ, regniq; firmandi, quo tamē hoc excidit anno. Nā *Daniel Stylita Monachus*, rogatu Episcopo rū vt succurreret Ecclesiæ, deserit colūniā; Constantinopolim vt appulit, Basiliscus specie deābulationis fugit dicens: *Tibi vir Dei urbē relinquo: tu me prece tua: cui ille; Disrumpet, impie, regnū tuū Deus:* simul in clamātē verbo sanat leprosum; quē ex umbone ostendit populo, ad cōfusionē Euthychianorū. Pluribus clarè miraculis. Acacius pseudoepiscopus arianus concitat Monachos in Basiliscū, qui imperant reuocari edictum contra Chalced. Concilium; *ne se.* excideret imperio. Verum id eo sine, vt simul irretaretur S. Leonis Cōstitutio contra Primateū Constantinopolitanum.

AN. CDLXXVII. Basiliscus ab aulicis ob auaritiā eius desertus, vincitur ab Zenone; protractus ab ara deportatur in exilium, vbi in amplexibus vxoris expirat. Zeno monenti Papā, hæreticos eijceret Episcopos, parat. At *anno* 482. rursus eiectis Catholicis restituit hæreticos autore Acatio. Simul capta Vandalica persecutio plurimis celebrata miraculis, vnius veræ apud Catholicos testibus Ecclesiæ.

AN. CDLXXXII. S. Seuerinus canonicus, *Laudate Dominum omnes gentes,* obdormit.

dormit; iussis prius fratribus, ut sua offa-  
secum transferrēt in vētura barbarorū  
incurfione; ipsis, non sibi profutura. Et  
ecce, Satelles ab Rege Rugorum Fride-  
rico Sancti aram depoliare, ipso in ausu  
ab dæmone obsidetur. Rex ipse totum  
spolians monasterium intra mensem à  
fratris filio necatus perit.

AN. CDLXXXIII. Inter barbaros  
Vrbis Italiaeque Dominos plurimi Ro-  
mæ nidificabant hæretici. Vrbis tamen  
Præfectus Basilius excommunicabat a-  
lienantes quidquam de bonis Ecclesia-  
sticis. Sed eam excommunicationem  
omnes Episcopi exploferunt. Interim  
Pet. Cnaphens Fullo ex monacho Euty-  
chiano pseudoepisc. Antioch. Theo-  
pascita, ab Papa damnatus, auxit Tris-  
hagiū isto; *Qui passus est pro nobis* DE VS.

AN. CDLXXXIV. Hunericus A-  
rianus Rex Vandalorum disputationem  
indicit Carthagine; ubi Episcopus  
S. Eugenius cæcum illuminat, adire pe-  
tunt ter diuinitus iussam. Disputaturi  
autem Ariani conuertiabantur, perque  
tumultum occiderunt Episcopum. In-  
de Rex ortus est persecutionem; legesq;  
contra hæreticos datas vertit in Catho-  
licos. Populus tamen Carthagenesi  
Catholicis ob miracula adherente, etiā  
Cyrola arianus cōduxit hominem, qui  
se cæcum simularet sanandus ab eo. At  
is dein vexæ cæcatus se deprehendens  
stropham aperit; atque à S. Eugenio re-  
luminatur: quem cum alijs dire tortum  
enecat Martyrem tyrānus. Typasenses  
missi ad eos peruertendo Cyrolæ con-  
stanter reclamant; elinguantur multi; &  
tamen rectius loquebantur. In quib. v-  
nus natus mutus post exectā linguā pri-  
mū loqui cœptauit. Alius in fornicatio-

nē lapsus, vsu loquelæ excidit. Ad quen-  
dā ex ijs Episcopū rusticus suum adfere-  
bat filiolum mortuū, pampinis obtectum  
quasi dono daret vvas: positāq; sportā  
recedit. Episc. vvas gustaturus conspicua-  
tur mortuū. Ergo protinus sese in pre-  
ces conijcit puellūq; rediuiuū genitori  
remittit. Tunc passim vulgabatur &  
miracula, & martyria desideratissima. E-  
uentus is erat: Siccitas inaudita, sterili-  
tas, fames, pestisque perdebat Africam:  
Hunericus veimib. exesus cōputruit,  
cum intolerabili fetore, ut frustulatum  
an. sept. regni suo esset sepeliendus. Eua-  
ricus Rex Gothorū arianus in Gallia, si-  
mili plaga perit: Rexq; Francorū Chil-  
dericus; cui succedebat filius *Clodoueus*,  
S. Genouesq; cultor, & S. Remigij; à quo  
& Christianus est baptizatus an. 499.

AN. CDLXXXV. Per. Fullo arianus  
Constantinop. conabatur Episc. Cypri  
Anthimiū sibi subicere Quem idcirco  
citātū ire nolētē, S. Barnabas Apostolus  
tertiū apparens ire iussit Constantino-  
polim, ac dicere; *Et mea Sedes Apostolica  
est: nam Apostolū habeo.* Hic n. dixerat ei,  
Meū Corpus cū Euangelio S. Matthæi;  
in lignis thyenis scripto, ante Salaminā,  
quinto stadio ab arbore siliqua, reperies.  
Zenoni donat Euangelium ita petenti,  
aureisque thecis includenti; ac supra se-  
pulturā S. Barnabæ templū collocanti.

AN. CDXCI. Zenō Imp. & fautor hæ-  
reticorū pœnas morte pepedit. Inebria-  
ri solebat sic, ut extensus iaceret, corre-  
ptusq; morbo comitali. Ariadna vxor  
Augusta sic iacenti irata, humari p. mor-  
tuo iubet, appositā tumulo custodiā. Bi-  
duū ipsum clamanti, Aperite, responsa-  
bant custodiæ; Nō licet, alius imperat.

Et ille; Esto, monasterium inibo. At furdis illa. Post refossus reperitur seipsum arrosisse. Anastasius succedit; quem Euphemius Constantinop. Episcopus noluit consecrare prius, quam Catholicè fuisset professus. Mores tamen peruertit, euasitque in sacrilegum Ecclesiarum expilatores.

AN. CDXCVI. Gelasius Papa reprehendit *communicantes sub vna specie*; quod esse Manichæi proderentur, abstinentes vini, velut à malo principio procreati. Ricardus Anglus Presbyter monitu S. Petri Romam peregrinatur; ubi à Gelasio in Episcopum Andriæsem creatur. Ad portam Andriæ cæcum restituit; paralyticam sanat; breuique urbem totam baptizat.

AN. CDXCVIII. Dum Symmachus Papa canonicè eligitur, Festus Comes Anastasii Laurentium curat à paucis creari Antipapam; vt qui Enotico Zenonis esset subscripturus. Hinc *Schisma*. Delectus arbiter Rex Theodoricus pro Symmacho pronunciat.

Quod quia illegitimè factum, ideo Symmachus Concilio Rom. idem of-

fert iudicandum, *an. 499*. Simul sancitur, quæ deinceps in electionibus PP. seruarentur. Inde literis moner Anastasium, rediret cum Oriente ad Ecclesiam: sed is tum prius se proficitur hereticum. Catholicos communicare seculum aut compellit; aut proscrit. Ideo ecce Deus Bulgaros in Thraciam immittit, à quibus victus pacem auro redimit. *Clodouæus Rex Francie* diu ab Cronide vxore nequicquam tentatus induci ad Fidem in pralio suos Alamânis succumbere videns, promittit se fore Christianum, si vicerit. Vincit. Se perimit S. Vedasto Attrebat. Episcopo catechizandum; ac inter viam ad S. Remigium, cæcum cruce sanat. Ad fontem dum concionatur S. Remigius, mirifica in lace fit vox: *Pax vobis, Ego sum: nolite timere. Manete in dilectione mea.* Auolansque columba, captam affert cum chrismate. Rex offerens S. Remigio dona, prius Ecclesiasticis restituere ablata iubetur. Et factum est.

AN. D. Anastasium exinde diræ clades punierunt hæreticum; nequedum tamen resipiscens.

### ERGO:

1. Dic age; Quæ sincera FIDES hoc constitit AEUO V?  
At SIC P A R I S T I S R E S I T A T R O M A N A, F I D E S Q V E:  
N O N S I C R E M s e r u a t L u t h e r o - c a l u i n i s t a, F I D E M Q V E.
2. I V R E S V O P r o p r i o P a p a, a t q u e E c c l e s i a g a u d e n t:  
Q u i s q u i d E i A V G V S T V S p r o p r i o d e i u r e r e m i s i t?
3. A N T I N E C H R I S T V S e r a t q u i s q u a m h o c R O M A N V S i n A e u o?

SAE-